Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26215
Copyright: Admont, Benediktinerstift

64

ad agenda bona se vehementer accendunt, et perpetratis malis distric
te redarguunt. Unde bene quoque per Salomonem dicitur: Cogitationes iustorum
iudicia. Intus quippe ab omni strepitu secreti ad sua corda rede
unt, ibique ascendunt tribunal mentis atque ante oculos se et proximum
statuunt. deducunt ad medium regulam testamenti qua dicitur: Que vultis
ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis. Transferunt in se per
sonam proximi, et sollicite attendunt quid sibi si ita essent fieri vel non fieri
iuste voluissent. sicque districto iure atque iudicio causam suam et proximi
iuxta tabulas divine legis in foro cordis examinant. Bene ergo dicitur: Co
gitationes iustorum iudicia, quia ipse eorum intimus motus cordis quasi quedam
libra est iudicantis potestatis. Quibus pactis quia retributionem interius
non requirunt, recte eorum iudicia diademati comparantur. Diadema
quippe in superiori parte corporis ponitur. Iustorum ergo iudicia diade
ma dicuntur, quia per hec non terrenis et infimis, sed sursum remunerari con
cupiscunt. SEQUITUR. Oculus fui ceco et pes claudo. pater eram pau
perum, et causam quam nesciebam diligentissime investigabam. Inter hec
lectoris animus forsitan querat cur beatus Iob suas tam subtiliter
virtutes enumerat. Sanctorum quippe virtus est bona que fecerint occul
tare. ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Unde per semetip
sam veritas dicit. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram homi
nibus ut videamini ab eis. Hinc est etiam quod duos cecos iuxta viam
sedentes illuminans precepit dicens. Videte ne quis sciat. De quibus dico
scriptum est. quia illi abeuntes diffamaverunt eum per totam terram illam. Sed
querendum nobis est quid sit hoc quod ipse omnipotens cui hoc est velle quod pos
se. et tacere virtutes suas voluit. et tamen ab his qui illuminati sunt qua
si invitus indicatur. nisi quod servis suis se sequentibus exemplum dedit. ut
ipsi quidem virtutes suas occultari desiderent. et tamen ut alii eorum exem
plo proficiant inviti. et facta quidem sua occultando se ipsos custodiant.
sed dum produntur inviti. bona ad proximos suos exempla transmittant.
Occultentur ergo studio. necessitate publicentur. et eorum occultatio sit custo

.VIIII.